
Constitutiones Livonicae. 1583

CONSTITVTIONES LIVONICÆ, POST SUBmotum ex Livonia Moſchum, à Sereniſſimo STEPHANO Poloniæ Rege, ſancitæ.

Hasce Constitutiones non in Comitiis, sed ut aliquam ordinem in Livonia institueret, privatim à Rege scriptas esse, scribit. Solikowsky in Comm. rr. polon. p. 147.



CRACOVIÆ, IN OFFICINA NICOLAI SCHARFfenberger, Typographi Regii. Anno 1583. antè hac excuſæ, nunc GEDANI recuſæ.

CONSTITVTIONES LIVONICAE.

STEPHANUS DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNVS DVX Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kiioviæ, Volhyniæ: Podlachiæq;, nec non Princeps Tranſyluaniæ, &c.

SIgnificamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris harũ notitiam habituris. Quia nos per Dei gratiam recuperata de poteſtate Moſchi Provincia Livonia, ejus ſtatui ac bono ordini proſpicientes, ac defenſionis & juſtitiæ rationem habẽtes, adq; exemplum inprimis terrarum Pruſſiæ nos accomodantes, infra ſcriptas leges & cõſtitutiones ei Provinciæ, de conſilio Conſiliariorum noſtrorũ dandas, & promulgandas eſſe duximus, damusq; & promulgamus præſentibus. Jura tamen noſtra Regalia integra nobis in omnibus reſervando.

 Epiſco-

Epiſcopatus
Vendenſis.

IN primis Deo optimo gratias pro victoria conceſſa agentes, ad ejusq; cultum actiones noſtras referentes, fundavimus Epiſcopatum in eadem Provincia, in locum Archiepiſcopatus, & Epiſcopatuum, qui fuerunt ſuperioribus temporibus. Primum diſcordia interna, deinde verò hoſtili gladio exterminati: cujus ſedes Vendæ futura eſt. Vbi etiam Canonicorum Collegium inſtituimus, ac item per Civitates, Oppida, & Villas noſtras regales, Parochias, & ſcholas ritus Catholici ereximus.

De diſſidentibus
in Religione.

ANnuimus petitionibus Provincialium Provinciæ Livoniæ Rigæ, & hic ad nos factis, ut Auguſtanæ confeſſionis, quæ unica poſt religionem Catholicam illam in Provinciam introducta erat, liberum uſum illis permittamus.

Tres

Tres Præſidatus
in Livonia.

PRovinciam Livoniam, quæ adhuc à nobis parta eſt, in tres dividimus partes, tùm juriſdicundi, tum defenſionis cauſa: Quarum prima erit Vendenſis, atque id quicquid inter flumen Dunam, & Goviam, & inde ad fines Moſchoviæ verſus Opoczkam, ſupra Marienhauſen ſitum eſt, ad Præſidatum Vendenſem ſpectabit, incluſis etiam arcibus, Marienhauſen, Ludzen, & Rozythen: Altera Derpatenſis, quæ à flumine Govia ad fines uſque Moſchoviæ extēdetur, & verſus Felinum Vilſcher lacu terminabitur: Tertia Pernavienſis, quæ Felinum Pernaviam, & cæteras arces inter Goviam flumen, & mare, & lacum Vilſcher continebit.

Præſides Livon:

QVibus quidem in partibus ſinguli *Præſides*, Vendenſis ſcilicet, Derpatenſ. & *Pernavienſ* præerunt eo jure & authoritate in illa provincia, qua

Pala-

Palatini in Prussia sunt, cum quibus etiam, necessitate exposcente, ad bellum movere debebunt, postquam prędicti Præsides à nobis, vel gubernatore Livoniæ, vel locum tenente, vel Commissario nostro admoniti fuerint.

Succamerarij.

STatuimus, ut in eadem Provincia tres itidem Succamerarij sint. Vendensis, Derpatensis, Pernaviensis, eadem authoritate & functione, qua Succamerarij sunt in terris Prussiæ. Iidem finibus inter nobilitatem regundis præerunt.

Vexilliferi.

TRes itidem prędictæ Livoniæ *Provinciæ* regiones tres suos vexilliferos habebunt, subq; signis à nobis illis attributis, necessitate exposcēte, ut supra scriptum est, dictæ provinciæ Nobiles & Incolæ, ad bellum & defensionem progredientur

Iudicia terrestria.

Judicia

IVdicia terrestria in singulis *Præsidatibus*, quotannis bis celebrentur, ita ut in *Præsidatu* Vendensi, prima judicia feria tertia post Dominicam, Quasimodogeniti, secunda feria tertia post Lamperthi, in *Pernaviensi*, duab: post hebdomadibus, in Derpatensi duabus post aliis observentur. Ex quibus quidem judiciis terrestribus, appellationes ordinariæ fient ad conventum Livoniæ.

Judices, Scabini,

& Notarij terrestres, ac Tabelliones.

IVdicia terrestria judicabuntur ab judice. Iudex autem cuivis *Præsidatui* ex quatuor à nobilitate propositis, unus per nos assignari debet, cui assidebunt sex scabini, ex duodecim à nobilitate propositis, à nobis designati. Notarium verò terrestrem ex quatuor à nobilitate electis, unū itidē designabimus, qui Acta ac Decreta judicij terrestris conscribet & edet. *Pro* incidētibus verò passim necessitatibus publici tabelliones in conventibus Livo-

niæ

niæ modo infraſcripto habendis, qui fuerint teſtatæ probitatis ac fidei, ex conventus illius ſententia, creari poterunt.

De Appellatione.

VT autem frivolæ & temerariæ appellationes nonnihil cohibeantur, quiſquis in judicio terreſtri ad conventum appellaverit, octodecim marcas Rigenſes in judicium reponat. Et ſi appellans ſuccubuerit, in uſum publicum judicii in quo erant repoſitæ, cedant, alioquin parti reſtituantur.

Judicia Præſidum, & ſanguinis, ac facti recentis.

NEc Præſides cauſas ad jus terreſtre ſpectantes, niſi de conſenſu partium judicent, & provocantes ad judicium terreſtre remittant, exceptis cauſis levioribus, quæ videlicet valorem triginta marcarum Rigenſiũ, non excedant. Hæ quidem ſine ſtrepitu judicii, de ſimplici & plano ab eis componi poſſunt. In cauſis autem ſanguinis, & facti recentis in

tis indilatam juſtitiam miniſtrent, nec partes contendentes ad componendam amicè inter ſe cõtroverſiam cogant, nec vllas pœnas exigant, niſi per judicium decretas. Quarum pœnarum tertia pars judicio terreſtri, reliquæ duæ partes Præſidi loci cedant.

Præſides & Capitanei cœteriq; omnes judicio terreſtri ſubſint.

PRæſides & Capitanei, ac quivis incolæ Livoniæ, ſiue Poloni, ſiue Lithuani, alijq; omnes citati: tam in judicio terreſtri, quam conventuum publicorum reſpondere ſint obligati, exceptis obligationibus ſuper bonis noſtris Regalibus emergentibus: Civitatibus etiã judicia juxta privilegia ipſorum relinquimus.

De Commiſſionibus.

VT autem temerariæ lites amputētur, Commiſſarios ſiue judices delegatos non deputabimus in cauſis ad judicium terreſtre ſpectantibus, & minus in eo jam pendentibus niſi per rationem ordinariam, de qua infra dicetur à ſententia definitiua, ſeu interlocutoria jam lata, ad nos remiſſę fuerint, exceptis cauſis limitum, bonorum noſtrorum Regalium, & diviſionis fratrum, & proximorum. Nec Iudices delegatos ſeu Cōmiſſarios à quibus ſemel appellatum eſt, in eadem cauſa denuo deputabimus, aut cauſam ad ipſos remittemus. Non enim veriſimile aut honeſtum videtur, quòd judex ſuam priſtinam ſententiam retractet, aut aliter poſtea judicet quam antea judicauerat.

De Conventibus publicis judicialibus.

COnventus autem publici judiciorum cauſa in Livonia Vendæ quotannis bis celebrentur, verno videlicet tempore, ad diem S. Stanislai, tempore autem autumni ad diem S. Michaelis, ad prædictos conventus publicos omnes cauſæ, tam ex Civitatibus, quàm ex judicijs terreſtribus, per appellationem

lationem

lationem devoluantur, ac etiam ex Feudis Ducalibus: eæ verò appellationes cognoſcentur, in dicto conventu ab Epiſcopo, tribus præſidibus, Capitaneo Vendenſi, Qveſtore provinciali, tribusq; Succamerarijs, Civitatumque, Rigenſis duobus, Derpatenſis vno, Pernauienſ. vno, Vēdenſ. vno, deputatis. Præſidebit vero gubernator Livoniæ, vel locum tenens, aut Commiſſarius noſter, à nobis pro tempore deſignandus, atq; ibi omnes cauſæ finientur, ſine vlteriori provocatione, exceptis cauſis amiſſionis hæreditatis bonorum, in quibus ſi quæ pars à conventu ſe gravatam putaverit, vtriuſque partis allegationes diligenter conſcribi, ac ad nos obſignatæ ſigillis omnium ſupraſcriptorū per gubernatorem, aut locum tenentem, vel commiſſarium noſtrum remitti debent, de quibus nos ſententiam noſtram itidem ſcripto noſtro declarabimus, ac item exceptis cauſis famæ, in quibus hoc idem, niſi ſint ſanguinis & facti recentis, obſervari volumus. Decreta vero prædicta conventionalia, à Notario terreſtri Vendenſi conſcribentur, ſub ſigilloq; ejusdem terræ edentur.

De jure municipali LIVONICO.

Tàm

TAm in judicijs terrestribus, quam conventionalibus justitia administrabitur ex præscripto juris provincialis in Livonia recepti, saluis tamen nostris Regijs ac publicis juribus, cujus quidem juris municipalis exemplum Provinciales ad nos mittere debent intra quadrimestre, vt à nobis recognoscatur, & authoritate nostra publicetur. Præteritas omnes injurias facti inter privatos perpetua oblivione delēdas censemus. De causis autem pecuniarum creditarum, & bonorum ademptorum, inter se jure experiri poterunt. Neq; tamen ab ijs qui tempore belli vsuras in bonis suis inscripserunt, exigi eæ debent. In posterum autem non nisi mediocres inscribi & accipi poterunt.

Conventus necessitatis publicæ causa.

QVando opus fuerit conventu pro necessitate publica, quem nos & successores nostri arbitrio nostro, loco & die, quo nobis videbitur, indicemus, prius in singulis Præsidatibus, Vendens. Derpatens. Pernaviens. fiat nobilitatis conventio particularis, quam

quam Præsides in suis Præsidatibus ad aliquem locum convenientem literis suis de mandato nostro convocent, ut nuncij ad hujusmodi conventū eligantur, qui autem vocatus non comparuerit, pœnam sex marcarum Rigensium pendet, cujus medietas Pręsidi, altera vero Fisco Livonico proveniat. Mittent etiam ad eundem conventū nuncios duos Civitas Rigensis, unum Derpatensis, unum Pernauiens. unum Vendens. ac item Curlandiæ Dux, cujus nuncio locus dignus ac conveniens in consessu, attribui debet.

De executione rei judicatæ.

AT quum frustra sententiæ ferantur, nisi legitimè executioni demandentur, volumus, & ineffragabili constitutione sancimus, ut deinceps vnusquisq; cujusvis conditionis aut eminentiæ fuerit, rei judicatæ sine omni contradictione cum effectu pareat, & obsequatur, alioqui locorum Præsides nullo alio à nobis mandato expectato, legitimam executionem faciant, adiuncto sibi, ubi causæ conditio id postulaverit Capitaneo, & nobilibus illius

 distri-

districtus, aut etiã, si necessitas exegerit, omnibus & singulis vasallis nostris seu nobilibus illius Præsidatus, quos ad assistendum illi sub jurisiurãdi debito & amissione bonorum obligatos esse decernimus. Si verò majori potentia sit opus, negocium ad nos referri volumus, vt opportunis rationibus rebus provideamus, Præsides similiter ad hujusmodi executiones faciendas, justiciamq; oppressis ministrandã jusjurandum nobis præstitum adigat, quos etiam si remissiores fuerint, quinquaginta florenorum Vngaricaliũ pœna plecti volumus, cujus mulctæ medietas parti, cui justicia denegata est, altera verò medietas Fisco cedat. Vbi autem quis executioni voluerit resistere, aut jam factam violare convictus fuerit, pœna banni sive proscriptionis, ac bonorum confiscatione, irremissibiliter puniatur. Ex quibus bonis parti læsæ primum satisfiat, quod reliquum fuerit, prædicto Fisco applicetur.

De violentiis ac viis publicis.

Statu-

STatuimus præterea ut nullus Capitaneus, nobilis, civis, aut quivis alius, cujuscunque conditionis existat, qui personis, castris, domibus, aut possessionibus alicujus vllam violẽtiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere præsũmat, super his convictus, capitali pœna puniatur.

De Captivatione, criminibus ac contractibus.

ET cum aliquis nobilis Decreto publici convẽtus, judicio Præsidum aut terrestri capitur, quod sub certis pœnis in potestatem aut carcerem civilem non tradatur, sed in manus Præsidum. Si quis autem in Civitate, ubi nulla arx est capitur, & authoritate conventus Præsidis, aut iudicij in carcerẽ civilem conijcitur, in potestate eorundem & non civitatis permaneat. Fideiussoria autem cautione à carcere hujusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis, & ut sub pœna viginti florenorum Vngaricalium, quorũ medietas Præsidi, altera parti læsæ cedat,

ſæ cedat, abſq; vlla remiſſione perſoluenda, nobiles &eorum ſubditi authoritate ſeu poteſtate ciuili non capiantur, detineantur, aut areſtentur, nec nobiles authoritate propria capiant, aut detineant ciues vel eorum ſubditos, ſed vnuſquisque coram judice ſuo ordinario conveniatur, & juſtitiam requirat, niſi in caſibus recẽtibus, & actionibus criminalibus, nam delinquens in loco delicti deprehenſus, & contrahens de contractu recenti, in loco contractus poterit conveniri.

De Fluminibus.

PRæterea ne in fluminibus terrarum noſtrarum Livonię quibuscũq; ab antiquo navigabilibus obſtacula fiant, ut tam piſcibus, quam navibus, & lignis liber tranſitus permittatur, bonis ac juribus noſtris Regalibus, & quorumcunq; Privilegijs antiquis, & præſcripta conſuetudine ſaluis.

De bonis terreſtribus civium, & nobilium civilibus.

Civi-

CIvibus bona terreſtria, & nobilibus civilia bona liberum ſit deinceps emere: ita tamen, quod ad paria onera utrinq; ferenda ſint obligati. Quod ſcilicet cives ratione bonorũ terreſtrium omnia nobilitatis onera, & nobiles ratione civilium bonorum omnia civilia onera, æquis paſſibus ferant, & eidem juri ſubſint.

De Prædonibus.

STatuimus, vt Præſides & Capitanei, quisque in ſuo Præſidatu, & Capitaneatu diligenter fines terrarum obſervent, ne prædones & graſſatores ingrediendo impunè graſſentur.

Ruſtici arma non ferant.

ET præterea, ne ruſtici cum bombardis, cuſpidibus, lanceis, gladijs, aut ſimilibus armis, pulicè aut privatim incedant, atq; ea deferant, niſi ad venationem, aut publicam pacem tuendam, à Dominis & poteſtatibus ſuis evocati fuerint. Sculteris etiã exceptis quibus ob publicam functionem, armatos eſſe liceat.

De

De mercimonijs, & rusticis.

NE etiam mercatores & præsertim peregrini sive exotici homines, in nobilitatis ac civitatũ iniuriã, merces in villis ac pagis clàm & publice coemere, & negociationes exercere audeant, authoritate nostra Regia firmiter prohibemus. Statuentes, ut deinceps subditi Dominorum merces & res suas vendibiles in Civitatem ducant, & in foro publico venales exhibeãt. Cum verò supra actis temporibus, plebem rusticam miris modis pressam in Livonia fuisse audiamus eam ad tolerabilem statum reducendam, ejusq; rei rationes aliquas in cõventu provinciali ineundas censemus, ad quam nos quoq; authoritatem nostram, & ordinationem, cõmunicato cum Provincialibus in eodem conventu consilio, adhibebimus.

De mercimonijs Moschoviticis.

Manda-

MAndamus locum tenenti nostro, Præsidibus, Capitaneis ac alijs Provinciæ ac Civitatum Magistratibus, ut merces omnes Moschoviticas Plescovia, & aliunde per ditiones nostras Rigam, aut Pernaviam, quo ad diversum aliquid pro ratione temporis statuerimus dirigant. Riga verò & Pernavia trans mare, tum in Lithuaniam Poloniamq;: nec ijs mercimoniis uti, nisi subiectos nobis patiantur sub gravi animaduersione.

De Constitutionibus in posterum faciendis aut emendandis.

SI quid postea de statu Livoniæ, ejusq; bono ordine statuendum sit, aut in suprascriptis cõstitutionibus emendandum, mutandũ, addendum, id prout res ac necessitas tẽpusq; exiget, matura ac bona deliberatione faciemus. Quæ omnia & singula ut supra scripta sunt sancimus, ac decernimus robur debitæ firmitatis habere debere, ac ab omnibus in

eadem

eadem Provincia obſervari, ab ijs verò quorum intereſt manu teneri, & exequi. Harum quibus Sigillum noſtrum appreſſum eſt, teſtimonio literarum.

Actum & datum Varſaviæ, die quarta Decembris correctionis, Anno M. D. LXXXII. Regni noſtri, Anno ſeptimo.

Per manus Illuſtris, & Magnifici Ioannis de Zamoſczie, Regni noſtri ſupremi Cancellarij, & exercituum Regni Generalis. Cracovienſ.q;, ac Marieburgenſ. Miedzyrzecenſ. Knyſchynen. Krzeſzovienſis, &c. Capitanei. Sincere nobis dilecti.